


615.89

Sch8e



38
W. Kelly 75
Q. B. F. Q. V.

EXERCITATIO HISTORICO-MEDICA

DE

VIPERARVM
VSV MEDICO

QVAM

PRAESIDE

IOANNE HENRICO SCHVLZE

M. D. ET PR. P.

IN ORDINE CIRCVLARI

A. D.

DECEMBRIS 1510CCXXVII

DEFENDET


CHRISTOPHORVS ALBERTVS MAYER

VLMENSIS.

ALTORFII

TYPIS IODOCI GVIL. KOHLESH ACAD. TYPOGR.

261.



EXERCITATIO HISTORICO-MEDICA
DE
VIPERARVM VSV MEDICO.

PROOEMIUM.



*M*ulta apud veteres leguntur, et ex parte in monumentis expressa conspiciuntur, quae ad serpentum genus pertinent. Nam non solum Mercurius caduceum gerit serpentibus obuolutum, sed Aesculapii quoque templum draconibus plenum videmus: draco baculum Aesculapii cingit, saepe ipsum quasi inuoluit, neque minus Hygeam draco comitatur et ad mazam, quam patella impositam tenet, adspirat. Quin Isidem et Serapidem Aegyptiorum, nec non Trophonium, cum uxore Hercyne, Bocotiorum valetudinis numina, serpentes adiecti denotant. Non iam liceat evagari longius in illam inquisitionem, quae originem huius consuetudinis detegat; aut referre quae a doctis viris in hanc rem scripta sunt: quorum alii meditationes suas ad castra Israelitarum, in iisque suspensum Dei iussu aneum serpentem, alii ad ipsius mundi primordia et paradisiacam vitam, extendunt, putantque peculiariter a Deo id fuisse constitutum, ut cum serpens astuta fraude sua peccatum, omneque malum, mundo intulisset, ex eiusdem quoque corpore peteretur summa medicina, sicque impleretur quod Lucae I, 71. legitur: Σωτηριαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν salutem ex hostibus nostris. Multa subinde de eo HELMONTIVS tradidit, cuius fertile & promptum ingenium ad illa quae non sunt fingenda, et quae qualitercunque speciem dant verosimilitudinis pro certissimis assumenda, et eloquentiae beneficio aliis obtrudenda admodum est inter omnes cognitum. Enimvero nos illam historicam inquisitionem in

originem ac progressum vsus medici viperarum medico dignam existimauimus, siue mortales duce priori viperarum cultu ad medicum usum inuitati fuerint, siue casu quodam aut consilio ad viperas medicina causa adhibendas inducti sint.

§. I.

Viperæ historiam naturalem, et quæ de illa apud auctores satis multos curiose tradita sunt, quoniam accurate, copiose, nouissimeque descripta et experimentis confirmata leguntur, minime attingemus; illud tantum dicemus nos hoc loco viperam intelligere serpentem ex illorum genere, qui viuos pariunt, in eoque differunt a nostratibus, quippe qui oua ponunt ex quibus deinceps serpentes excluduntur. Differunt autem viperæ a serpentibus tum agilitate et irritabilitate maiori, tum vero maxime dentium constitutione, quippe solis viperis suppetit dens quidam præcutus et quasi crenatus, in maxilla superiori utrinque conspicuus, quo valde nocent, si sub folliculo ipsius contentum virus in vulnus infundatur. Græcis vocatur *εξις* et foemina *εξιδα*.

§. II.

Ceterum in plurimis viperæ cum serpentibus conueniunt, eo maxime quod exuias quotannis vere et autumnno deponunt, quod **PLINIVS H. N. XXX. cap. 3. vernationem anguium** vocauit. Et quamuis maior viperis animositas, quam nostratibus serpentibus, tribui solet: hos tamen, præcipue mares, non omnino segnes esse, morsumque eorum, si irati fuerint, non impunem esse, sed valde nocere malignaque symptomata inducere, dubio omnino caret. Sed vel viperas nostrates; dantur enim etiam in Germania, et, ut a viro fide digno, medico excellentissimo, accepi, in vicinia nostra; vel serpentes nostros tam esse venenatos quam in Italia, Græcia vel Asia deprehenduntur, experimentis non constat. Veruntamen veras viperas ad medicum usum præ serpentibus nostratibus multum

multum prerogatiuæ habere nondum intellexi : vt nec video quid impediatur, quo minus nostrates serpentes adhibeamus ad omnes illas curationes, quibus viperæ ab antiquis vel recentioribus commendantur. Id vero præcipuum habent, quod ad continuandum vsum tutiores futuri sunt viperis; *non enim semel tantum aut bis vipersas edere satis est*, inquit ARCHIGENES apud AETIVM *Lib. XIII. cap. 123, sed saepe id fiat, quum extra periculum sit et insuper commoditatem adferat.*

§. III.

Vt vero ad vsum medicum viperarum sine ambagibus veniamus, antiquissimum ex medicis scriptoribus, quorum ad nos opera peruenerunt, HIPPOCRATEM adeo nihil de viperis commemorare merito miremur. Mihi saltem nullus occurrit locus, quo quicquam de illis affert, nisi quod exuvias anguium aliquoties commendat. Sic *lib. I. de mulier. morbis. §. 108.* commendat puerperæ, vbi adhuc secundina intus detinetur, harum exuuiarum obolum in vino terere, ac bibendum dare. Idem de *morbis mulier. II. §. 68.* ad impetigines extrahendas commendat remedium aliquod compositum, quod exuuiæ hæc ingrediuntur; verum non indicat an interne, an vero externe adhiberi illud velit.

§. IV.

Quæ cum ita sint, apparet facile quid statuendum sit de illo HELMONTII in *tumul. Pest. cap. XIX.* asserto, quod nimirum HIPPOCRATES in pestilentia illa graui, quæ Athenas quondam vexauit, præcipue vsus fuerit viperis, verum arcanum hoc maxime celauerit. Nam vt taceam quam non certum sit quod HIPPOCRATES Athenis tunc fuerit, cum nobilissima vrbs hæc morbo isto graviter laboraret, aut, si adfuit vel discipulos eo misit, operæ pretium mendo fecerit : illud certe totum quod ibi HELMONTIVS, tamquam a genio reuelatum, longo ordine exponit, dulcia sunt somnia ipsius, luxuriantisque imaginatiuæ facultatis partus illepidi.

§. V.

Similiter ea quæ Helmontio præeunte OTTO TACKENIVS, illius affecla, sibi non inutili commento de sale viperarum Hippocratico prodidit, nugæ sunt, et inficetæ fabulæ, quas jam pridem pro meritis castigavit et redarguit vir longe doctissimus IOHANNES ZWELFFERVS in *Discurs. apologetic. aduersus Hippocratem chymicum Ottonis Tackenii*, quo ineptias hujus commenti merito reprehendit. Etiam hic, tamquam de eo certissimus, HIPPOCRATI secure adscribit morem illum veterum viperas cum sale ammoniaco stratificandi in olla nova, adiectis non paucis vegetabilibus, deinde exurendi, quem DIOSCORIDES innuit, et auctor libri de theriaca ad PISONEM, qui GALENVS esse dicitur, vt et AETIVS *lib. XIII. cap. 97.* nobis describunt.

§. VI.

Cum igitur HIPPOCRATIS temporibus viperæ ad medicinam nondum receptæ fuisse videantur, porro quærendum est, quo pacto homines in cognitionem vsus earum venerint vel venire potuerint. Non immerito autem suspicor studium illud venena vel esculenta vel potulenta cognoscendi, cuius gratia multa experimenta capiebantur, multum hic contribuuisse. Inuenimus hoc, vt fabulosa de Circe, Medea, earumque parentibus taceam, in Cyro, optimo principe, de quo XENOPHON in *Cyropædia, libr. VIII* testatur quod libenter cum medicis loqui solitus sit, et quæcunque aliquis dixisset vel venena vel medicamenta, ea ad manus habere eorumque experimenta capere studuerit. Hic vero princeps HIPPOCRATI ætate suppar fuit veroque simile est hanc indagacionem non paucos principes stimulasse ad idem studium prosequendum. Possent facile ostendere ab Alexandri M. excessu, quem veneno accepto multi tribuebant, hoc studium præcipue exarsisse: sed nullibi manifestius eluxit quam in Mithridate Ponti rege et Attalo Pergameno. Quin plane existimo mihique persuadeo, studium venena, eorumque antidota, certis experimentis addiscendi laudatissimis olim principibus æque ac vitio-

vitiosissimis commendatissimum fuisse, idemque peperisse deinceps illam materiæ et praxeos medicæ partem et tractationem quæ theriaca, vt et alteram quæ alexipharmaca vocantur, de quibus altum est apud Hippocratem nostrum silentium.

§. VII.

At vero casus fortuiti hic non parum lucis incrementique attulisse videntur. Et sane ille auctor, qui libros *de theriaca ad PISONEM* scripsit, vt et illos qui *de subfiguratione empirica* inscribuntur et GALENO tribuuntur, historias quasdam refert, in *libris de simplicium facultatibus* etiam obuias, quæ si ita res gesta est, docent virtutem viperarum hominibus quidem casu primum innotuisse, deinde autem consilio prudentiaque repetitis experimentis vltius esse declaratam et confirmatam. Narrant enim messoribus in agro occupatis, aliquando accidisse vt incisis ipsis vipera in lagenam vino repletam incideret, ibique vitam amitteret. Hoc vero animaduerso nemo erat qui illud degustare auderet; sed nec effundere illud volebant, quare ad proximum tuguriolum, in quo miser quidam leprosus hominum commercio exclusus habitabat, id vinum afferebant; rati fore vt humaniter cum eo egisse existimarentur, si omnino ab illo potu vitæ finem tam miser homo inueniret; quod si minus accideret, gratiam pro refectione sibi habiturum hominem confidere poterant. Quum vero isti homini præter spem et opinionem sanitas ex hoc potu obtingeret: hoc, huicque similibus casibus, innotuisse hominibus illud legimus, quod viperæ, quas ob morsus lethalem plagam tantopere reformidabant, contactu tamen non noceant, quin prodesse omnino possint.

§. VIII.

Atque hinc factum est porro vt viperas etiam esitare, medicinæ gratia, homines auderent: quod saltem ante GALENI æuam vsu receptum fuisse satis clarum est, et nulla probatione indiget. Vsum, et quem inde fructum sibi promiserint veteres, DIOSCORIDES indicat, *viperina inquit carnes si cocta edantur claritatem oculis afferunt,*

afferunt, nervorum vitiis auxiliantur, incrementes strumas reprimunt. Enim vero alii auctores plus sibi a viperarum esu promiserunt. ARCHIGENI et GALENO potissimum ad lepram et pruritus commendabilis visus est: narratque hic illis, qui esitant has carnes, frequentes in corpore pediculos gigni, quod scilicet totum corpus per cutem evacuent. *de simpl. medicament. facult. libr. XI.* En verba eius: *properat autem, ut videtur, vis eius ad cutem, per eam videlicet qua in corpore sunt recrementa exigens. Quibus ergo affatim est mali succi in corpore, iis ingens provenit pediculorum numerus et a cute ceu squamma abscedit ac decidit cuticula, ad quam sistuntur ac retinentur crassi terrestresque humores ad cutim protrusi, a quibus psora, lepra et elephantas nascuntur.* Quod vero Galenus hic dicit de pediculorum largo proventu id DIOSCORIDES omnino alienum esse a veritate contendit: Quam vero iuste id faciat, inferius dispiciemus.

§. X.

Eam vero virtutem ante Archigenem et Galenum ANTONIVS MUSA probe iam callebat, quippe is, PLINIO *libr. XXX. cap. 13.* teste, cum incidisset in insanabilia ulcera, viperas edendas dabat, mira que celeritate persanabat. Condiebant autem et præparabant viperas, ceu anguillas, nempe oleo, sale, anetho, porro et aqua, ut GALENVS *de simplic. facult. libr. XI.* testatur, cum quo DIOSCORIDES non adeo perfecte conuenit, quippe qui epulum viperinum sequentem in modum apparat: *detracta, inquit, cute, caput caudaque, quoniam carne vacant, amputari debent, quippe commentitium est, quod præcipitur, certam utrinque mensuram præcidi oportere: Reliquum vero corpus, exemptis interaneis, elotum dissectumque discoquitur cum oleo, vino, salis exiguo, et anetho.*

§. XI.

Adeo que antiquissimi homines, qui primum experimentum virtutis viperinæ sumserunt, duplicem, satis, ut existimo, a se distantem, habuere adhibendi modum. Alii enim vinum, cui viperæ essent

essent immortuæ , sine viperis ipsis, bibebant , alii carnem vipera-
rum elixatam comedebant, et ius album decoctionis bibebant , vt
Archigenes auctor est, apud AETIVM *lib. XIII. cap. 123* : forte et-
iam siccata et comminuta cum vino sorbendam exhibebant.
Primo modo a viperis nihil, nisi forte aliquid excrementorum, præ-
sertim e viperæ iam moribundæ cute et ore, accessit : alteri autem,
quoniam cutis, caput et cauda abiiciuntur , nequidem excrementa
accedunt, nihilque inest præter nudam carnem cum ossibus, exigua-
que pinguedine, et quicquid horum decoquendo in iusculum recipi po-
tuit, quod profecto non contemnendum videtur continuato vsu ,
præsertim si copiose bibatur : de quo inferius dispiciemus.

§. XII.

Quod ante dubitanter dicebam veteres forte etiam siccata et
comminuta viperam cum vino potasse, ideo feci, quoniam apud
NICANDRVM *Theriac. vers. 601. seq.* inuenio viperam addendam
præcipi compositioni cuidam ex vino sumendæ. Sed reuera satis
concisus et obscurus videtur ille locus, et ab interpretibus non vno
modo exponi illum video. Adscribam igitur, et, adductis in me-
dium interpretibus, quid mihi videatur, subiungam:

Ἐνθα καὶ ἰππείου γε ταμῶν σπερμῆα σελίνου
Δραχμάων δὲ δύο σμύρνης ἑχεπευκίος ἄχθη
Ἐν δ' ἀφεριγενέος καρπῶν κέρσαο κυμίνου,
Στήσας, ἢ ἐχίδνην τε καὶ ἄσατον ἀμφικυκίσας
Πίνε δὲ μίξάμενος κυάθῳ τρεῖς ἀφύξιμον οἴνου.

Hos versus IOANNES LONICERVS ita interpretatus est: *iniicies equi-
ni apii semina, myrrhaque amara duo drachmarum pondera, in-
cidesque fructum spicas habentis cymini, certo pondere librans, quo-
tum vipera, tum id quod malam in te constitutionem parit, tollatur e
medio.* Hæc vero versio minime indicat viperas esse intus assumen-
das. Sed ANGELVS BALDVVS ABBATIVS *de viper. natur. et facult.*
cap. XII. hunc locum maturius consideravit, recteque inde didicit

ante Andromachum viperas fuisse adhibitās. Exhibet autem hanc versionem metricam, nescio a quo auctore profectam :

*Semina quin capias dissecta ex hipposelino,
Drachmarumque duum myrrha addes pondus amara.
Detonsum et granum quod munit arista cumino
Certa lege librans, et echidnam, aut astata, miscens
Sunt sorbenda tibi cyathis permista Lyai.*

Qua multo clarior est IO. GORRÆI metaphrasis :

*Adde illis apii concisum semen equini
Et piceam drachma geminato pondere myrrham,
Spicatique simul fructum decerpe cumini
Appensum, nullo vel pondere corpus echidne
Confundas, cyathisque meri tribus ebibe mista.*

§. XIII.

Existimo autem omnium optime clarissimeque sensum reddidisse *Gorraum*, idque recte peruidisse, quod *Abbatius* non intellexisse videtur, quando cecinit: — *et echidnam, aut astata, miscens*: ex quo nemo forte sensum eliciet. Vocabulum autem *ἀστατον* habet originem ab *ἴσημι*, quod inter multa alia etiam significat *appendo*, *ad pondus exigo*: hacque notione participium *σῆσας*, quod antecedit, ab omnibus interpretibus accipitur; quibus scholiastes insuper accedit. Quoniam itaque *NICANDER* dicere volebat addendam esse integram viperam: reliquorum autem pondera determinauerat, hanc iubet *ἀστατον ἀμφικυκῆσαι*, *quocumque sit pondere admiscere*. An vero crudam? non videtur commodum hoc, quoniam cum vino potari debet: credo igitur vel recentem carnem cum spina contusam et deinde siccitam (quem modum Hippocratem tenuisse *Helmontius* sibi persuasit,) vel exsiccitam et tundendo comminutam eum adhibuisse. Quid, quod *Nicander v. 621. seq.* iecur, ipsumque caput viperæ, cum vino vel aqua potandum, proponit his verbis: *sape etiam hepar viperæ, cum vino quorvis obuiosum, prodest. quin ipsum malum viperæ caput, vel in aqua*

vel

vel in vino potum, auxiliabitur. Sermo autem est de iis, qui a vipera demorsi sunt. Ex quo illud saltem patet Nicandrum ex iis, qui exstant, antiquissimum esse auctorem, ex quo viperarum vsum internum discere licet. Floruit autem Nicander sub Attalo Pergami regulorum ultimo, quod tempus Antonii Musæ ætatem, quippe qui Augusti medicus fuit, centum et quadraginta annis superat: Hippocrateo autem ævo aliquantulum supra CC. annos inferius deprehendimus. Ceterum exsiccatas et in puluerem redactas uiperas exhibere sollemne apud medicos insequutos fuit, vt *AETIVS lib. XIII. cap. 97.* ex Marciano et Galeno adducit.

§. XIV.

At vero experientiæ suffragio cuiuscunque ex dictis modi bonitatem eos cognouisse, nullum apud me est dubium: vt nec de eo dubitare licet, quin veteres, quando viperas anguillarum ritu præparatas exhibebant, notabilem quantitatem ederint; de quo nos dubitare non sinit Archigenis testimonium supra laudatum. Quæ cum ita sint non satis mirari possum *ANDROMACHVM*, celebrem illum Neronis archiatrum, qui theriacæ auctor celebratur, cur adeo exiguam quantitatem viperarum tam nobili compositioni imposuerit, quum, si calculos recte ponamus, vni et dimidiæ drachmæ huius electuarii, (quæ satis magna dosis existimatur,) vix integrum granum carnis viperinæ tribuere possimus, quod apparet si trochiscorum quantitatem, quæ assumenda est, computemus; in quibus tamen non contemnenda portio micarum panis, ex veteri præscripto, continetur. Neque minus miror *GALENVM*, qui multis locis de theriaca promittit, ad elephantiasin curandam magnum aliquod momentum ab ea esse accessurum; vt et *ARETAEVM*, qui *de curat. morb. diuturn. Lib. II. cap. XIII.* postquam esum viperarum, vt et trochiscos de viperis, albo calculo notauerat, deinceps subicit: *At si medicaminis illius varii ex viperis compositi copia sit, id pro omnibus, quandoquidem omnia simul continet, bibendum est.*

§. XV.

Progredior ad reliquos viperas in vsum medicum vocandi modos, quos inter primo loco recensebo trochiscos vipereos, eum in finem, ni fallor, excogitatos, vt quouis anni tempore ad vsum in promptu habeatur viperæ caro, vtque medici etiam iter facientes, vel in loco vbi viperæ non inuenirentur, aut vbi non suppetere qui capere eas nossent, tamen non destituerentur hoc remedio. Modum eos præparandi et asseruandi GALENVS accurate tradit, et ex illo multi repetunt auctores. Quo pacto in Italia suo tempore parari eos viderit, describit *ὁ πρῶτον* CASP. HOFFMANNVS noster *paralip. officinal. cap. II.* breuius autem Georg. MELICHIUS, pharmacopoeus Venetus, origine Augustanus, in commentariis *de reſta medicam. parandor. ratione p. 278.*

§. XVI.

Progredimur ad salem theriacum seu vipereum, cuius antiquiorem mentionem, præterquam apud *Archigenem* ab AETIO I. c. exhibitum, haud inuenio. Commendat autem is ad elephantiasin, omnesque pruriginosos affectus, sequenti elogio: *utimur et ad ipsos salibus theriacis, eos quotidie pro liquamentis ad intinctus exhibentes, una cum obsoniis: suntque tum sapore, tum odore gratissimi.* Idem AETIVS *lib. XIII. cap. 97. ex libris*, vt adscribitur, *Marciani*, cum quibus consentit Galenus, amplissime de salibus theriacis agit, videturque vix satis laudare præstantissimas eorum dotes posse. Proprie autem in affectionibus cutis, vt lepra, impetigine, scabie ferina, raritate ac defluuio capillorum, eos conferre, et huiusmodi vitia confestim delere, et acria recrementa subter cutem redundantia discutere prædicat. *Plerisque enim, inquit, ex eorum esu sudor prolicitur, atque ita per exsudationem corrupta substantia euacuatur, adeo, vt quidam in principio pediculos excluderint intra quatuordecim ad summum dies; post hos enim nullus in corpore pediculus apparet: quidam vero pro pediculis sputa pituitosa reieciunt.* Porro commendat hæc salia ad appetitum ciborum excitan-

citandum, concoctionem iuuandam, totiusque corporis habitum floridiorem reddendum et sensus omnes acuendos, ad suffusionum initia discutienda, menstruorum suppressionem expediendam. *Quin morborum præterea omnium, inquit, medici sales existunt, maxime tamen eorum qui in renibus existunt. Vertigini et dolori capitis inueterato, morboque comitiali, nulla alia consimilis medela exhiberi queat; si quis eos per integrum annum ex ordine large sumat.* Arquatis deinde, splenicis, colicis, et rigoribus sæpe obnoxiiis, exhiberi iubet, quin etiam tuffientibus et tabidis, ac resolutis, vt et podagricis, eosdem commendat. *Ceterum, inquit, vix satis dignis verbis assequi queas quantum diurnas quartanas, et deliria ex atra bile oborta, dilatent et remorentur, si ante accessiones, et in intervallis quoque, sumantur. Enecant item omne lumbricorum genus.*

§. XVII.

Longum effet si præparationem tam laudati salis adscribere vellem, quæ adducto loco plenissime legitur. In summam tamen contrahere studebo. Vipera quatuor magnæ in nouam ollam figulinam viua ponuntur, aut, quod GALENVS facere se profitetur, trochiscorum vipereorum tantum, quantum ex quatuor viperis parari potest, atque hisce iniiciuntur salis ammoniaci, vel loco eius communis, XX. libræ. Deinceps pastilli, ex decem libris puluerum vegetabilium, cum sufficiente quantitate mellis parati, superimponuntur. Porro scillæ recentes quinque in tenues partes dissectæ, adduntur, et super hæc omnia iterum XX. libræ salis communis induntur. Tum olla operculo perforato tegitur, totaque luto figulino obducitur, et ignis, donec lutum siccatum sit, lenissimus, paulatim vero augendus, admouetur, vsque dum vapores per operculi foramina exire desinant, et loco eius flammam quandam exilem per foramina egredi conspicias. Tunc post refrigerationem, exempta materia, additis, notabili satis quantitate, optimis aromatibus, simulque probe permixtis omnibus, ad vsum vocatur, de quo ipsa

AETII verba adscribam: *Licet autem tum in prandio, tum in cœna, eis uti, cum quibuscunque eduliis eos accipere velis, neque ultra ad eorum acceptionem prouocare oportet: tanta enim ipsis insita suauitas est, ut voluptatis potissimum gratia eos confectos quis dicere possit. Licet igitur usque ad tria cochlearia per diem ex ipsis sumere, maxime si cibus prius in ventre sit probe concoctus. Qui enim eos accipiunt, concoquunt melius et cibi appetentiores fiunt, floridius etiam corpus habent, et sensus omnes vegetiores. Quomodo autem ad speciales morborum curationes sal hic, specifico- rum additione, aptior reddi debeat, apud ipsum auctorem, ut et apud Galenum, ad quem prouocat, videre iuuabit, circa finem libri de theriaca ad Pisonem, vbi eadem, et totidem fere verbis, leguntur.*

§. XVIII.

Vix equidem existimo tantam vim salis, et reliquorum, quæ adduntur, aliquid valde præclarum de virtute viperarum propria et natia sub hac ignitione assumere et retinere: quod quidem olim etiam aliquos fuisse suspicatos, alios etiam aperte professos, ex eo video, quoniam AETIUS æque ac GALENUS *l. c.* aduersus tales disputant. Sed de eo inferius dispiciendi commodior locus erit. Mihi nunc sufficit ex his auctoribus proposuisse quantum veteres fiduciæ in hos sales posuerint. Quod si spes ipsos non fefellit, aut promissio vana est, dicere debemus eos bona fide errasse, et id, quod salii communi debebant, adiunctis viperis præter rem tribuisse. De reliquo quidem multos sales antiquis fuisse commendatos ex eodem AETIO *libr. IX. cap. XXIV.* intelligimus, ubi sales Iamblichi, Poletis, dodecatheus, laudantur, de quorum ultimo promittitur, quod *is, qui eo assidue utitur, nullis morbis per omne vitæ tempus infestetur.* Fallor? an sal hic dodecatheus a duodecim diis maioribus nomen habet, estque is ipse, qui iam HOMERO αἰὸς θεῶν nomine laudatur *Iliad. i. v. 213.* quemque PHOTIUS in *excerptis Ptolemai Hephaestionis p. 487.* testatur ad appetitum excitandum et ciborum

concoctionem iuuandam, plurimum conferre, πρὸς πολυφαγίαν, καὶ ὄρεξιν καὶ πένειν. Celebratur quoque aliquod sal sacerdotale, quod prophetarum Eliæ et Elisæi temporibus in vsu fuisse dicitur, non multum a modo indicatis abludens. Non possum quin attentiori considerationi commendem illam obseruationem, quod primis diebus pediculos creber vsus salis expellat. Certe obseruamus in hominibus scabiosis, quod sale, cibisue salitis, vt halecibus, copiosius pasti pruritus insigniores sentiant. Cuius phænomeni rationem vix dubito tribuere vermiculis, scabiosorum pustulas erodendo inducentibus, quos quidem ipsemet, tam nudo quam armato oculo, viuentes, sese motitantes, et, vbi ipsis permittebatur, poros cutis celeriter subeuntes, eoque loco nouas pustulas inducentes, fideliter et absque fallacia non semel, sed sæpius vidi, et vna cum aliis contemplatus sum.

§. XVIII.

Quod ad vsum viperæ externum attinet, plane fuisse antiquum illum existimo: sed nemo mihi videtur clarius illum docere *ÆTI*O, qui *libr. XIII. cap. XXI.* homini a *vipera demorso suadet, vipera amputatum caput vossella diligenter tenere, et morsui impingere, ea parte adhuc calente qua collum contigit: id enim extrahit venenum.* Etiam decocto viperarum elephanticos lauare solebant. Sed omnium frequentissime theriacæ vsus etiam externus commendatur, qui deinceps, instar omnium aliorum adhibendi modorum, in vsu remansit: nisi quod amuleticorum remediorum patroni caput viperæ, hoc vel illo modo appendere docuerunt, quod quidem accuratius annotare operæ vix pretium faciet. Videor autem mihi obseruasse quod tam in illis, qui demorsi sunt a vipera, quam in his, qui elephantiasi laborant, externus viperæ vsus vix sine interno proponatur aut suadeatur, vel saltem in postremis ponatur.

§. XX.

Atque hi sunt modi viperas ad vsum tam internum quam externum adhibendi, quos Græci auctores tenuerunt, quosque Latinis

nis commendarunt ; omninoque inuenimus illos mansisse vsque ad tempus illud, quo medicina ad Arabes propagata fuit. Nam PAVLVS AEGINETA, qui vixit illo tempore, quo iam Muhammedani rerum in Asia et Ægypto potiebantur, cuiusque libros inter primos acceperunt Arabes, non solum viperas, verum etiam salem viperum et theriacam, commendat. Nil itaque mirum si inter Arabes vsus viperæ medicus permanfit, et forte etiam non contemnenda incrementa cepit. IOHANNEM quidem MESVEN in illis, quæ supersunt, nec theriacæ magnæ, nec trochiscorum de viperis meminisse video : attamen oleum de viperis parare docet, quod apud Græcum vel Latinum quendam me legere non memini. At vero RHASES amplissime viperarum vsus docet atque commendat. Non enim solum a vipera morsis *Lib. VIII. c. 2.* theriacam de viperis impenso studio sic commendat : *illico detur theriaca de viperis facta : non enim vsque ad hoc nostrum tempus inuenimus, quod a viperarum morsibus magis hac medicina liberare possit :* verum etiam theriacam hanc conficiendi modum eodem loco edocet.

§. XXI.

Idem RHASES, quando *libr. VI. cap. 35.* curationem lepræ tradit, hæc verba ponit : *Quum autem hac aegritudo alicui fortiter inhaeserit, et in eo quasi fixa manserit, cum viperarum carne medicandus erit. Eius vero corpus, qui hac medicina vititur, inflatur, atque per aliquot dies absque sensu manet : sed eius postea excoriatur corpus, et egreditur, sub loco excoriationis, caro tenera, et sic ab infirmitate patiens curatur, sicut ex antiquorum nouimus recitatione, quam veram esse credimus : sicuti id etiam in hoc nostro tempore non procul contigit. Retulit enim mihi quidam, se quandam curasse mulierem cum istis medicinis, quam lepra iam vehementer inuaserat, et sanata est.* Describit deinceps rationem viperas apparandi, vt comedi possint et ius bibi, qui modus a Græcanico supra exposito nihilo diuersus est, nisi hoc, quod tamdiu remedii vsus continuare iubet, donec ægrotus inflari cœperit ac scoto-

scotomiam patiatur: quod quidem phænomenon ab vllō Græcorum aut Latinorum obseruatum esse haud recorder.

§. XXII.

IOANNES SERAPIONIS *breuiarii tractat.* VII. cap. VIII. non solum trochiscos viperarum, verum etiam integram theriacam parare docet. Libro *de simplicibus cap.* CCCCLVIII, quod inscribitur *de carne tyri*, de carnis viperinæ virtutibus omnia fere illa recenset, quæ ex GALENO & AETIO supra attuli, nisi quod prouentum pediculorum rotunde sic negat: *Et dicunt quidam, quod, qui comedit carnes istas, gignat multos pediculos, & hoc non est verum.* Neque minus AVICENNA, princeps ille medicorum Arabum, sat multis locis indicat, quam præclare de viperis & medicamentis inde paratis sentiat; quoniam vero ea, quæ apud ipsum inuenio, in plerisque conueniunt cum his, quæ ex RHASE iam adduximus, superfedere liceat labore illo verba eius afferendi. Tradit autem modum theriacam & trochiscos viperarum conficiendi *libr.* V. *canon. initio.* Elephantiasis curationem docet *libr.* IV. *Fen* III. *tract.* 3. *cap.* 3. Quando carniū viperæ esum, earumque decoctionis ius bibendum proposuit, ita subdit: & huius quidem diætæ utilitas fortasse non apparet in principio; deinde autem subito fructus percipitur. Signum autem læti successus præbet, si leprosus inflari incipiat, & aliquam mentis alienationem patitur, quo viso a medicinæ vsu cessare debemus. Mox deinde excoriatur & ad sanitatem redit. Ibidem commendat decoctum viperæ cum aceto, tapia & pyrethro parandum, quo externe per tres dies vti iubet.

§. XXIII.

Idem auctor decocto viperarum intus sumendo addere iubet pullos columbinos, vt eo saturatius euadat. Oleum etiam viperarum decoquendo paratum elephantiasî sanandæ commendat; vt & sal vipereum. Hydropicis etiam carnes viperarum conducere scribit *Lib.* III *Fen* XIV. *tr.* IV. *cap.* 13. Alibi, vbi docet, quid ad morsus venenatorum animalium valeat, ex aliorum commendatione

laudat lapidem serpentum exterius adhibendum : qualem vero eum intelligat, non addit. Neque minus AVERROES libri, qui *Theistr* inscribitur, II. *cap.* XII. quod de lepra agit, commendat ius viperæ decoctæ, cui tamen interponit decoctum gallinæ, eique multum tribuere se non dissimulat : iungit autem ipsi vsum theriacæ. Etiam ALI filius Abbasi, qui vulgo HALY dicitur, viperarum carnes sic laudat : *purgant membra interiora ab omnibus superfluitatibus, & ad corporis exteriora educunt, & a cute per sudorem dissolunt. Si comedantur ab eo, in cuius corpore sunt superfluitates multæ, pediculos excoriationemque cutis generant, in similitudinem corii serpentis. Profunt & humoribus grossis, ex quibus fiunt lepra & morphea ac elephantia, morsuque venenosorum & letalibus medentur potionibus. Practic. lib. II. cap. LII. num. § 19.*

§. XXIII.

Patet ex dictis, priscam viperarum commendationem apud Arabes nihil detrimenti cepisse : eorumque præconio, si forte oblivioni per occidentem datæ essent, mature iterum inclaruisse, facile coniecimus ex eo, quod Salerni sæculo iam XI. CONSTANTINVS AFRICANVS magno successu, vt illa scilicet ferebant tempora, ad medicinæ studia excitanda attulit, quicquid ex Græcis, Latinis & Arabicis monumentis, multis peregrinationibus improboque studio didicerat, hocque conatu effecit, vt immortalis futura sit Salernitanorum virorum gloria. Sed & mox alii successerunt, qui Arabum libros in sermonem Latinum, quam bene poterant, transtulerunt, quod certe scriptis modo laudati *Ali* per STEPHANVM, qui se *philosophiæ discipulum* vocat, ante sæculi XII. medium iam accidit. Non iam vacat plures Salernitanæ scholæ magistros confutere : adducam tamen præstantissimum virum, IO. PLATEARIVM, qui capite *de lepra* præter theriacam commendat serpentes rufos decoquendos, aut vino vel musto imponendos, vt in eo putrescant, idque vinum bibere iubet. Idem singularibus laudibus ad paralytica membra effert pinguedinem serpentis ruffi, cum radice capparum

rum & centaurea præparandam, modo, quem latissime descripsit *de agritud. capitis*, cap. V. Istos autem serpentes ruffos ipsissimas viperas esse indubium mihi videtur.

§. XXV.

Quem modo adduximus ex *Plateario* modum viperas vino iniiciendi, vt in eo putrescant, eum clarius describit BERNARDVS DE GORDONIO, medicus Monspelienfis, qui sæculi XIII. initio scripsit. Vult autem ille *Particul. I. cap. XXII. vt serpentes viui ponantur in vino optimo cum epithymo, senna, polypodio, aniso & summitatibus fœniculi & anethi, & non potetur aliud nisi hoc vinum cum temperata quantitate aqua. Vel ista omnia tempore vindemiarum ponantur in musto, & vas quasi non sit plenum, & cum vinum fuerit clarum, ponatur in alio vase & ibi conseruetur. Istud vinum laxat quotidie bis vel ter, & est cibus & potus & medicina.* Ex quo apparet, non putrefactionem, sed fermentationem cum musto desiderari. Idem porro iubet, vt leprosus abluatur totus cum aqua decoctionis serpentum. Et quando videmus post multum usum serpentum ipsum squamari & pati scotomiam, & syncopen, & tumorem in toto corpore, optimum signum est: quoniam serpentes valent quocunque modo, & aliter nullus curatur aut præseruatur: & ideo multum valet theriaca. Hic vero Gordonius palam loquitur non de viperis, quas non cognouisse videtur, sed de serpentibus cum dorso nigro, quos etiam ad esum præparare sic docet: ligentur versus caput & caudam, & cum virgis minutis flagellantur, & subito duo viri abscindant caput & caudam, vnus caput, alter caudam, & ambo vno instanti: & permittatur volutari per terram, & quanto plus mouebitur, & plus exhibit de sanguine, tanto melius. Tunc excorietur & abluatur cum aqua salsa calida, & postea cum vino puro. Et istis serpentibus vtatur omnibus modis, quibus poterimus, considerando, quod, breuiter loquendo, in leprosis post corporis mundificationem aliam viam non habemus. Decoquantur igitur in aqua vsque ad offsum separationem, cum semine

fœniculi & anethi & pane biscocto & modico sale, & postea sorbeat brodium & comedat carnes sic preparatas. Vel terantur cum ala gallina & modico zingibere & pane de zuccaro, & fiat comestio alba: vel carnes preparatae cum puluere zingiberis & coriandri & croco ponantur in artocrea, vel fortiter trita eadem cum puluere zingiberis & nucis muscata & pane de zuccaro fiant electuarium.

§. XXVI.

Bernhardum Gordonium manifeste sequitur IOANNES DE GAD-
 DESDEN, auctor praxeos medicæ, quæ *rosa Anglica* inscribitur: quare lilio medico rosam medicam iungamus, præsertim quum vterque auctor eodem fere tempore, vltimus hic certe ante medium sæculi XIII. vixerint. Hic capite *de lepra* pag. IIII. edit. *Augustan.* 1595. serpentem nigrum, antea flagellatum, decoquere iubet: etiam vino eundem iniici. Sed ne caput ac caudam omittendo nimiam iacturam faciamus, ex his etiam vtilitatem duplici modo capere docet. Nimirum cinerem amborum, in olla noua combustorum, cum melle vel oleo inungit superciliis depilibus, vt hac medicina reparentur: vel caput caudamque decoquit vel cum butyro frigit, colatura autem illa inungit tineas, pustulas & morpheam: *nam*, inquit, *optime istas infectiones sanat, sicut sum expertus.* Sed maioris momenti est, quod eodem capite, pag. 1096. nos edocet: *Cape serpentem, & decoque ipsum cum tritico, & cum illo tritico nutriantur gallina vel capones, quousque illis pluma decidant, tunc assentur & comedantur a leproso tales capones vel gallina, quousque patiatur σούρωμα, h. e. vertiginem, & capiat cum illis de cinnomomo vel modicum theriaca: hoc totam cutem, nec non carnem renouat. Cum pinguedine vero destillante inungantur pustula & facies. Certe optimum est remedium contra lepram. Hoc autem fieri debet ineunte vere & auctumno, factis prius vniuersalibus per venasectionem & purgantia.* Sequenti sæculo Ticini vixit et docuit IO. MATTH. de GRADIBVS, quem gallinis viperatis feliciter vsûm esse testatur eius in hoc imitator MARCVS GATTINARIA, ex quo longam historiam adducit M. A. SEVERINVS *de vipera Pyth.* p. 476.

§. XXVII.

Laudatum capones gallinasue vipereo decocto & carnibus saginandi modum circa medium sæculi XVI. celeberrimus medicus REINERVS SOLENANDER in consilio honestæ mulieri Lugdunensi, elephantiaseos principio laboranti, scripto, quod sectionis I. octauum est, ita commendat: *Mihi vero hoc sequenti experimento alius in simili & grauiori casu in Italia curatus est. Accipio duas aut tres vyperas, (si haberi nequeunt, totidem alios serpentes,) consindo viuos, &, adiecto multo hordeo, decoquo in aqua, quoad hordeum tumeat aut crepet. Hordeo eo, & ipsa serpentum carne, pullos gallinaceos multos continuo alo, nec aliud alimentum supposito. Solent pulli, postquam aliquot dies enutriti sunt, implumes euadere, & tandem rursus plumis vestiri. Vbi igitur per plures dies ita alti sunt, paulatim incipio agrum horum carne, & carniū eorum iusculis, nutrire. Hoc remedium comprobatum est experientia.* Hoc remedii genus ad hunc vsque diem in Italia in pretio haberi, dicitur gli caponi viperati a generosissimo Domino CHRISTOPHO ELIA OELHAFEN a Schoellenbach, oppidi agrique Altorfini Præfecto, Patrono plurimis nominibus colendo, qui in Italia diu moratus est, audire me memini; qui idem retulit, Magnam Ducissam Etruriæ quandam, ex Vrbinatibus oriundam, huiusmodi caponibus frequenter vsam, creditam fuisse, eorum beneficio debuisse, quod valde longæua fuerit reddita.

§. XXVIII.

Scilicet hoc etiam de viperis nobis pollicentur illi præcipue viri, qui chemiæ arcana præter ceteros rimati videntur, quod vitam humanam ultra ordinarios & vulgatos terminos producere valeat. En PETR. IOANN. FABRI testimonium, quod *Panchym. Libr. V. cap. II.* legitur: *Viperarum caro simplex non preparata, & etiam preparata, affectus omnes præter naturam calidos & torridos corrigi & temperat, unde totam sanguinis massam a saburra serosi & acris humoris depurat & abstergit, & totum renouat hominem,*

immo eius vitam longævam facit & ultra ordinarios & vulgares vita humana terminos extendit ac producit : quum tenax & viscosum producat humidum, calidi innati proprium pabulum, modo illi perfecte uniatur : quod quidem humidum viscosum & tenax, quum difficilis sit consumptionis, ideo longævam constituit vitam. Vita siquidem longæva consistit in humido tenaci & viscoso, calido innato perfecte unito & permixto. Hæc si quis plenius intelligere optat, ei suadeo, vt legat integrum illud caput, cuius extremam particulam adduxi, vna cum præcedente : sed & apprecor, vt plura, quam mihi licuit, intelligat. In eadem fuisse sententia ROGERIVM BACONEM, clarissimum Anglum, qui sæculum XIII. illustravit, video ex viri hodie celeberrimi IOANNIS FREIND *historia medicina p. III. pag. 47.* qui ex eodem auctore, cuius scripta consulere mihi iam non licet, historiam notatu dignam affert nobilissimæ feminæ Germanæ, cui propria soror venenum miscuerat, quæque continuato viperarum carnis vsu id consequuta fuit, vt, post capillorum & vnguium lapsum, non solum integram valetudinem recuperaret, verum etiam multo, quam antea, venustior & vegetior redderetur. Etiam ARNOLDVM VILLANOVANVM medicinam longævuitatis ex viperis promississe scio ; sed pariter scriptorum ipsius nihil ad manus habeo : sufficiat igitur antiquitatem promissionis huius nunc indicavisse, & plura cupientem ad hos auctores amandasse.

§. XXVIII.

Sed tempestivum videtur ad historiam redire, & viperarum fata porro exponere. Patet nimirum ex superioribus, Græcos, inde ab Hippocratis excessu, viperarum vsum frequentem habuisse, eundemque ad Romanos primum, deinde ad orientis populos propagasse, a quibus eundem populi Europæ recuperaverunt, Itali quidem primum, deinde Britanni, Galli & Germani nostri. Accidit autem illo tempore, quo in scholis Arabes doctores regnabant, illorumque libri, barbaris versionibus euulgati, vnice legebantur, vt viperæ, quæ præ manibus erant, diu non cognoscerentur. Nam quum auctores

auctores illarum interpretationum, Græcæ linguæ ignari, viperam tyrum interpretati essent, et theriacæ nomen tyriaca scripserunt: nescio quem serpentem Tyrium requisierunt. Ideoque factum est, illis credo temporibus, ut pro theriaca facienda Patauini vipersas ex Aegypto adferendas curarent, cuius rei testis est laudatissimus CASPAR HOFFMANNVS noster *l. c. cap. 2.* qui idem *cap. 1.* dubitationis huius his verbis meminit: *Quum Auicennista Græcæ lingua ignari essent, τὸ θύριον, quod diminutiuum est ἀπὸ τοῦ θῆρ, et in genere significat omnem bestiam atrocem, in specie inter alia viperam, accommodarunt vocem nescio cui serpentum generi, et detorta e Græcæ voce Thyrum vocarunt. Hunc errorem primus detexit LEONICENVVS, monitus ab Illustr. LVCRETIA, Ferrariensi duce, physicarum rerum studiosa, scripta ad illum epistola, quæ aliis eiusdem Leoniceni opusculis annexa est, Basil. anno 1529. in qua ostendit Marassos Italici dictos esse veras ἐχίδνας, a priscis olim usurpatas.* Idem fere addocet BALDVVS ANGELVVS ABBATIVS *de admirab. vip. nat. cap. XXVIII.* Quum vero Itali de hoc moniti essent, et cognoscerent Euganeos montes prope Patauium illis abundare, nec easdem aliis locis deficere intelligerent, factum est ut trochiscos vipereos ex hoc tempore copiose pararent, exterisque, non minus ac ipsas vipersas exsiccatas, transmitterent: quorum plerique etiam hodie has merces a Venetis expetunt.

§. XXX.

Manfit tamen ad hoc vsque tempus antiquitas firma, nec inuentus fuit qui viperæ virtutes in dubium reuocaret, donec IULIVS PALMARIVS Constantinus, medicus Parisiensis, post medium sæculi XVI. de morbis contagiosis sex libros publici iuris fecit, quorum quarto, qui de elephantiasi inscriptus est, toto capite nono perstringit veterum promissa de morbo hoc vipereis medicamentis, quocunque veniant nomine, percurando. Atque, ut fidem viro habeas, non suam solum experientiam in publicis ædibus, quibus ægroti sustentantur et curantur, collectam, ostendit, verum etiam IO-

HANNIS FERNELII posthumum testimonium adducit. *Elephanticos, inquit, multos, veterum imitatione, cum viperarum usu restituere, maxima methodo studisset FERNELIVS, nemini in tota vita, ut erat in votis successit: quod cum mihi indicasset, et a remediis omnibus siccantibus abstinendum esse monuisset, veterum medicorum auctoritatem eius opinioni anteponendam ratus, et illorum pollicitis nimium forte addictus, theriacam Elephanticis multis, qua methodo illi præcipiunt, præbui, sed nullo prorsus profectu: quæ res effecit ut vipers ipsas, aliter atque aliter apparatus, experiri aggressus sim, quas tamen nihilo plus opis afferre comperi. Paucos, fateor, post dies cutis extima squammas et furfures remittit, tamquam elephas in lepram degeneret, videturque iuuare per initia hoc remedii genus, si solius cuticula rationem habeas: sed neque viscerum constitutio hocce modo melior fieri, neque verrucosa tubera intermori, neque crassescantis cutis deformitas emendari solet: sed elephanticum virus, post viperarum usum, e visceribus multo maiore, quam unquam, impetu in cutem remeans, omnia symptomata sic exasperat, ut aucta putredine membratim dilacerentur ægri terribissimo foetore.*

§. XXXI.

Reuera nihil hic dicere *Palmarius* videtur, quod non ante ipsum dictum fuerit prius ab omnibus veteribus, quippe qui non reticuerunt quam difficilis sit mobus ille, qui Græcis elephantialis, Arabibus autem lepra dicitur, quodque in aliquibus, vbi nimium progressus iam est, non curetur: vbi autem curationem adhuc admittit, nihil efficacius viperis inueniatur. Neque tantopere contra viperarum in genere bonitatem pugnare videtur, quam contra theriacæ, vtpote ex calidis compositæ, ad hunc morbum curandum bonitatem. Permittit interim cuicumque experimentum facere cupienti, ut omnes modos viperis vtendi experiatur, ex quibus tutissimum iudicat illum, quando gallinæ viperis saginatae præbentur. Nobis sufficit ex hoc *Palmarii* testimonio confirmari illud, quod de viperarum virtute ad corporis superficiem tendente, et per illam noxia quæque

quæque eliminante, ex vetustis auctoribus sæpius annotauimus: indicamus autem BALD. ANG. ABBATIVM aduersus Palmarium disputare libri sæpius laudati *cap. XXVII.* ex quo illud quoque discas Palmarium sequacem inuenisse ALEXANDRVM TRAIANVM, quem magis auctoritate Fernelli Palmariique, quam rationibus, aduersus viperas pugnare innuit.

§. XXXII.

Attamen omnino parum existimationi viperarum detraxisse hi videntur. Certatim enim præclari medici viperarum dotes vltioribus experimentis practicis comprobare annisi sunt, vnde in hunc vsque diem vigent illarum laudes, quas nouissime D. D. THEODORVS ZWINGERVS *compendii medic. vniuerse pag. 532.* ita completitur, vt Italos præcipue ac Gallos testetur iisdem delectari. *Itali,* inquit, *serpentes viuos concisos cum aqua ebulliunt, et hauriunt pro vsu antiuenerico sudorifero. In primis autem iuscula viperina parari in Gallis, et quotidie mane, per aliquot hebdomades, propinari solent, ad sanguinem purificandum, acrimoniam edulcorandam, spiritus animales refocillandos, genus nervosum, immo cerebrum, confortandum. Nonnulli quoque carnes viperarum ipsas comedunt ad eundem finem.* MATTHIOLVS *ad Dioscorid. Lib. II. cap. XVI.* et B. A. ABBATIVS *cap. XXIII.* ex HIERONYMO CARDANO aliquid afferunt non quidem ad viperas pertinens, sed ad aliud serpentum genus, quod Itali *miliort* appellant, a nostra tamen tractatione haud alienum. Nimirum phthificis, elephanticis et gallico morbo laborantibus ab his certam opem pollicetur. Excoriatos, capite caudaque abiectis, decoquit, anguillarum ritu, in aqua, cum modico sale et benzoe: in fine decoctionis petroselini folia adiicit. Iusculum cum pane adsumere, ipsasque carnes edere iubet, pinguedine autem totam spinam et iuncturas illinere. Continuato remedii vsu fore promittit vt materia tota morbifera per vlcuscula et tubercula et sudorem expellatur extra, et intus ab omnibus pectoris et pulmonis vlcerebus liberi euadant. Mihi certe a viro fide digno relatam est Illustrissimam quandam Comitissam, tabe fere confectam,

hortulano suo eodem morbo laboranti persuasisse, vt experiretur vsum serpentum nostratium : quo ex voto ipsi cedente, ipsammet idem remedium, non sine exoptato fructu, adhibuisse.

§. XXXIII.

Plura ex recentioribus auctoribus collecta ad manus sunt, quibus laudes et vsum viperarum serpentumque illustrare liceret : sed hæc spaciis exclusus iniquis nunc omitto, vt de præparatis chemicis aliquid subiungere, et totam illam quæstionem de virtutibus viperarum breuiter deinceps expendere liceat. Inter præparata chemica notiora sunt spiritus et sal volatile. Sali excellentes vires tribuuntur aperitiuæ, resoluentes, motum excitantes et diaphoreticæ : quas neutiquam ereptum ipsi ibimus, quoniam inest ipsi saponacea quædam indoles, ex combinatione salis alcalini et olei empyreumatici, qua aptum natum est ad dictas virtutes, magno nostro bono exferendas. Neque minus spiritum dictum viperarum eiusdem generis vires possidere assero : nihil enim est aliud quam phlegma ipsarum sale volatili liquato imprægnatum. At vero vel sal volatile, vel spiritum ex viperis prolectum, viperarum specificas vires conseruare, aut quicquam a sale et spiritu ex ossibus, cornibus, vngulis, aliisque animalium quorumque partibus differre, neutiquam credo, inque eo celeberrimorum chemicorum consensu satis confirmor. IO. ZWELFERVS *animadu. ad P. A. Class. XIV. append.* vbi de viperis multa præclara habet, edocet modum salis viperini tum graueolentiam adimendi, tum vero etiam volatilitatem nimiam coercendi, additione spiritus salis communis, donec nullam amplius contrarietatem deprehendas, solutione deinceps et aquæ per alembicum abstractione. Enimvero sal ita enixus admodum exiguis præ communi culinario prærogatiuis gaudebit : vixque dubitarem asserere quod meliores vires diaphoreticæ in aqua inde abstracta, præsertim illa, quæ primo exstillauit, delitescant.

§. XXXIII.

Plura de præparatis per ignem vipereis consulto omitto, et potius progredior ad considerandum et cum beneuolo lectore deli-
beran-

berandum, equem fructum ex hac recensione historica capere liceat. Primo quidem id puto firmum et inconcussum, tot medicorum, per tot sæculorum decursum, consensu et testimoniis reddi, viperarum et serpentium nostratium tutum esse vsum, quoniam integre edi possunt. Et quum nec vnus mihi in hac inquisitione historica occurrerit, qui id negauerit, aut exempla contraria adduxerit, nihil de eo addo, sed potius porro nunc quæro, an viperæ et serpentes, quoniam comedi possunt, simpliciter alimentum sint, quæ concoctæ in nostro corpore illud tantum nutriant, vt carnes gallinarum vel vitulorum, boum et id genus aliæ: an vero medicamentosas insuper vires possideant, quas comestæ exserere valeant? Id vero docent tot testimonia superius adducta, quod ad cutem maxime properet eius virtus, ibique aliquando pruritus excitet, sæpe pediculos expellat, continuato vsu cuticulam in squamas resoluat, et decidere totam faciat: quod antequam fiat in grauioribus morbis, vbi magna impuritas profundius partibus insedit, præcedere, tamquam optati successus prænuncius, solet virium lipothymica resolutio, scotomia, sensuum obnebulatio, quin ad tempus ablatio; quam tamen mox subsequitur materiæ ad superficiem expulsiõ. Et illam quidem ad superficiem corporis vergentiam, si ita loqui licet, ne ipse quidem PALMARIVS, non nimius viperarum admirator, destruit; de reliquis autem non possum quin addam iam supra laudati GATINARIAE obseruationem, huc consulto reseruatam: *de vsu istarum carniũ viperarum recordor, quod cum Io. Matth. Gradi curasset quendam leprosum, fama diuulgabatur ad Galliam: et quidam alius accessit Papiam, vt curaretur a lepra. Et inueniens ipsum mortuum accessit ad me, cui exhibui multa remedia: tandem deueni ad exhibitionem talium carniũ, quæ laudantur ab omnibus medicina auctõibus. Et dixi illi Gallo vt eas caperet, et fecit. Et quod erat multum auidus curari, accepit de eis in multa quantitate. Cum autem mane ipsum visitare inueni ipsum cum sauisõis accidentibus et venenosis, ita quod timui, ne carnes illæ ipsum occiderent. Sed quia virtus erat fortis, ex-*

pulit per partes cutis, et facti fuerunt per corpus quasi totum bubones, qui tandem deuenerunt ad saniem, et curatis illis remansit liberatus. Et propter hoc medici non sunt audaces in exhibendo multam quantitatem rerum venenosarum.

§. XXXV.

Docet hæc recensio, Gattinariam ea symptomata, quæ vsum viperinæ carnis copiosiore subsecuta sunt, eiusdem venenositati tribuisse: quum potius naturæ corporeæ, ab efficaci medicina extimulatæ, salutaris nisus haberi debeat, quicquid ab auctoribus de vertiginosa illa dispositione, diuturnum esum subsequente, eiusdemque ad aliquot dies pedissequa anæsthesia, aliisque symptomatibus, recenseri solet. Et quamquam ingenue fateor me nexum effectus cum causâ efficiente, aut potius modum, quo effectum illa producit, non peruidere; satis tamen confirmor in sententia mea, quando considero quid fiat in genere omnibus in morbis, qui critica quadam excretionem iudicantur, ubi omnium obseruatione ægroti grauius degunt, quo propius ad criticum tempus accedunt; in specie vero in illis, ubi exanthematum eruptio instat; quippe tantum non semper vertiginosa capitis afflictio præcedit, eaque sæpe tantum procedit, vt epileptica pathemata succenturientur, sub quibus variolæ puerili ætati frequenter erumpunt. Specialius me confirmant exempla hominum, quibus philtra fuerunt a veneficis data, quorum illi, qui non prompte per vomitum virus omne reiiciunt, raro conualescunt nisi aliquandiu omni sensu priuati, quin non raro omnium præteritorum absoluta obliuione inducta, tandem eo deueniant, vt totius superficiem exulceratione, pilorum, unguium, totiusque cuticulæ lapsu et renouatione facta sensim sibi restituantur, Cuius rei egregium exemplum habet HENRICVS ab HEER in obseruationibus. Neque desunt alia exempla hominum perniciosi venenis infectorum, qui periculum non alio pacto, quam prægressa tam operosa despumatione totius humorum massæ, effugerunt.

§. XXXVI.

Quum igitur satis certi esse possimus de generali illa efficacia, qua viperæ præditæ sunt, periphericam euacuationem in nobis molliendi, sicque venenum eliminandi, proximum erit vt dispiciamus an omne venenum, aut quænam potissimum, profligare possint. Superflua videri posset hæc inquisitio, quum obseruatio docuerit viperæ medicinas ad peripheriam pellere, et per illam, adiuante natura

tura corporea, excludere noxium; vnde facilis est conclusio illis potissimum halituosis, qualia ex animali regno defumuntur, hæc opponenda esse remedia. Sed consideratione vltiori dignum videri possit, quod M. AVR. SEVERINVS *Viper. Pythia pag. 503.* memoria prodidit, de puluere *theriacali Principis Anbaltini*, qui vel ex viperarum carne et spinis, vel cordibus et iecinoribus eorundem in clibano ficcatis, conficitur: cuius tantam habuisse dicitur gregarius quidam miles fiduciam, vt arsenicum, mercurium sublimatum et similia deuoraret, et adsumta deinceps vnica drachma illius pulueris, nullo afficeretur damno. Id vero suo quidem loco per me sit repositum, qui porro quæro an viperæ morbis contagiosis, tam illis, qui tardo pede incedunt, quam his, qui celeriter tempora sua decurrunt, commendari possint? Id vero cur non adfirmare debeam, nullam equidem inuenio rationem: multas autem grauissimorum practico- rum commendationes, quibus eo ducimur, deprehendo. Ad pestilentiam diu quærent practici medicinam, quæ bubonum eruptionem salutarem efficaciter promoueat: videamus, (vtinam autem experimentum capere numquam opus sit,) annon nudus puluis viperarum scopo sit satis facturus. In chronicis, vt pruriginosis et vlcerosis affectibus, satis iam spectata et vsu confirmata est viperarum efficacia.

§. XXXVII.

Supereft vt quæramus quisnam sit optimus vipers exhibendi modus. Mihi simplicissimus quisque maxime arridet. Vbi moram res patitur, incipiamus a gallinis carne viperarum vel serpentum enutritis, eorum oua, carnesque apparatus edamus, iuscula decoctionis bibamus, diligenter et satis diu: veniamus deinceps ad ipsas vipers coctas, eorumque iuscula, moderata initio quantitate, sensim vero augenda. Vbi vero alimentis medicamentosis non esse videtur locus, viperarum, maxime vero cordium ac iecinorum, mox demus puluerem, quem aquis diapnoicis et conuenienti regimine adiuuemus. A theriaca viperarum vires vix impetrabimus, quum vix effatu digna sit particula quam iusta dosis continet, et, ob adiectum opium, non omni morbo creber et largior vsus conueniat. Sale viperarum volatili paralyticos quosdam curatos esse a fide digno accepi; sed continuato vsu, a tribus granis incipiendo, sensim ad scrupulum vnum, quin vterius, ascendendo. Debet autem adiuuari decocto sarsaparilla. Felicis curationis initium est dolorum sensibili-
 D 3 bilium

bilium in parte resoluta exortus. Equidem vix dubito, quin idem sale cornu cerui impetrari queat, quod hominibus tenuioris fortunæ longe parabilius erit. Pinguedinis viperinæ virtutem ad oculi vitia emendanda extra controversiæ aleam sunt posita.

§. XXXVIII.

Quærere etiam liceat annon viperis haud multum dissimiles vires exspectare ab aliis animantibus integrum sit. De cancris fluuiatilibus certum habeo quod dicam, illorum frequentiore et quotidianum esum, vere adulto, omnes per hiemem collectas impuritates ad cutim propellere. Familiariter vsus sum in Saxonia viro honorato et *πολυπλάκιος*, qui magno valetudinis suæ commodo hac diætâ quotannis utebatur, eiusque beneficio scorbutica, quibus vexabatur, pathemata feliciter propulsabat: fere autem quouis prandio et cœna asparagos iungebat. Si aliquos dies sic transegerat lætus conspiciebat in cute passim erumpentes maculas rubentes, quæ, eadem diætâ continuata, euanescebant, ipsa cuticula multis locis squamarum instar defluente. Illud macularum rubrarum, a cancrorum repetito et copioso vsu efflorescentium, phænomenon semel hic quoque intueri in studioso quodam licuit. Quid chelæ cancrorum in febribus malignis profint, omnibus notum est.

§. XXXVIII.

Neque obscure colligo cornu cerui, illud præsertim quod sine exustione præparatum prostat, viperorum vires æmulari, quare non immerito multum ipsi a præclaris viris tribuitur. Pauci effluerunt dies vbi feminæ grauitè febriliter laboranti, totisque faucibus aphthis obsitæ, vt nullum medicamentum nullumue cibum sapidum assumere posset, ceterum iam desperatæ pluribus mecum visæ, vnicum hoc remedium omni exspectatione maius auxilium attulit. Hæc vbi ad se rediit integram linguæ superiorem tunicam detrahebat, cuticulamque manuum et pedum omnino deponebat. Ipsas quoque gallinas huc refero, siue araneorum, quo delectantur, esui, siue alii causæ cuiuscunque, id natura earum debeat. Noui ante complures annos virum a lue venerea, et acceptis grauibus vulneribus, adeo eneruatam, vt ambulantiæ mortuum dixisses. Hunc post aliquid tempus omnino vegetum succique plenum videns, quo pacto talis esset redditus expiscabar. Sancte autem mihi affirmabat se beneficium hoc debere continuato gallicinarum vsui, quarum carnes edere et ius bibere, omni autem alio cibi potusque genere, (præterquam similigineo pane) abstinere ipsum iussisset medicus quidam familiaris a se per litteras consultus. Per omnia deierabat sibi multos sub curatione pediculos fuisse natos, quod tum quidem temporis risu vix dissimulando percipiebam: nunc vero minus adspemor. Sed telam

abrumpere tempus iubet.



Die Lehrreich / Werther Freund / bedünckelt mich
Deine Schrift:

Was man vor giftig hielt / heißt Dir ein Gegen-Gift.
Wolan! ich traue Dir. Ich will den Vorsatz fassen
Des Mißgunsts Ratter-Zucht zu lieben / nicht zu hassen.
Ihr Gift ist Vipern-Gift: Ich nehm es herzhafft ein;
Es wird die Panacé vor meine Seele seyn.

Mein Freund! Gott gebe/das/was Widrig sonst geschienen/
Mög allzeit Dir und mir zum Heil und Besten dienen.

Den schuldigen Glückwunsch dem Herrn Respondenten
abzustatten / schrieb dieses

G. F. Deinlein / Phil. & I. V. D.

Da sonst Gift und Tod einander stets begleiten:
Wolan! Hygea weiß ein Mittel zu bereiten;

Da sie von Vipern selbst ein Gegen-Gift verschafft /
Und so des Giftes Sicht durch Gift ein Ende macht.

Nun fahre fort / mein Freund! Dich fernerhin zu üben /
Der Tod der haßt Dich schon / da Dich die Krancken lieben/
Und Deines Fleißes Lohn kan ja nicht ferne seyn;
Deñ weil Dein Glücke kömmt / so fliecht der Krancken Bein.

Nobilissimo DN. RESPONDENTI
gratulabundus appon. v.

M. Leonhardus Bohner, Noribergensis.

Da Du Dir heut von den Vipern was zu sagen vor-
genommen /
Zeigst Du / daß von bösen Dingen auch was Gutes könne
kommen.

Fahr in Deinem Fleiß nur fort / glaub/ es folgt auf sau-
ren Schweiß

Eine inñer grüne Cron von dem schönsten Ehren-Preis.
So gratuliret hertzlich dem Herrn Respondenten
Dessen ergebenster Diener

M. I. G. Frickius, Oppon.

Gelehrter Freund / man hört von Dir die Vipern loben /
Und dadurch wirst Du selbst mit Lob und Ruhm erhoben /
Dann jeder siehet leicht / wie herrlich Dein Verstand
Durch Fleiß gezieret sey / und daß Dein Vaterland /
Das wiederum an Dir dereinsten werde haben /
Was es mit Horstio und Beuteln hat begraben.

Siemitt wollte dem Herrn Respondenten
seine Ergebenheit bezeugen
G. V. Huth / Norimbergensis.

Opp.

Indem Du in den klugen Blättern den ungemeinen Nutzen
Den wir in Aesculapens Kunst bey einer Art der Schlangen
Und dessenwegen auf der Musen gelehrten Kampf- und Streits
Um desto klarer darzuthun / worauf sich Deine Schlüsse
So giebst Du auch von Deinem Wissen ein solches Zeugniß an
Aus welcher die gelehrte Welt / kan satzsam Deinen Fleiß er-
Das auch des Meides Otter-Zunge nicht schänden noch vergiff-
Und selbst die späte Nach- Welt noch wird Deines Wises
Drum nimm das Fernglas der Gedanken und spare ferner kein
Die Wunder-Wercke der Natur in den drey Reichen zu er-
Der Himmel läßet Dich / zum Lohne / die angenehmste Früchte
Und künfftig einen Ehren-Kranz / von der Hygeen Händen

Siemitt wollte seinem wertheften Freunde
herrlich Glück wünschen

Georg Ulrich Schmid / Nordlingensis.

Opp.

1911
1912
1913

1914

1915

1916

1917

1918

1919

1920

1921

1922

1923

1924

1925

1926

1927

1928

1929